DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

BALNEI ET AFFUSIONIS USU,

IN QUIBUSDAM MORBIS.

DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
BALNEI ET AFFUSIONIS USU
IN QUIBUSDAM MORBIS;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRAEFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI *SENATUS ACADEMICI* CONSENSU, ET NOBILISSIMÆ *FACULTATIS MEDICÆ* DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

JOHANNES LUDOVICUS PREVOST,
Genevensis,
SOCIET. REG. MED. EDIN. SOCIUS.

Calendis Augusti, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:
EXCUDEBANT NEILL ET SOCII.
MDCCCXVIII.

ALEXANDRO MONRO TERTIO,

M. D. S. R. E. S.

MEDICINÆ, ANATOMIÆ, ET CHIRURGIÆ,

PROFESSORI,

NECNON,

COLLEG. REG. MEDICOR. EDIN. SOC.

&c. &c. &c.

OB MULTA ET MAGNA BENEFICIA,

IN EUM COLLATA ;

HOC TENTAMEN ACADEMICUM,

ANIMO GRATO,

D. D. D.QUE

AUCTOR.

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

BALNEI ET AFFUSIONIS USU,

IN QUIBUSDAM MORBIS.

PARS I.

Priusquam de balnei, affusionisque Therapeutico usu, dicere liceat, horum effectus in corpore humano sano, describendi sunt.

Balneorum temperies.—Sunt balnea,

Intra XL^{m} ad LX^{m} gradum F. (frigida).

—— LX^{m} — LXXX^{m} ——— (tepida.)

—— LXXX^{m} — XCVIII^{m} ——— (calida.)

Supra hanc temperiem, balnea calidissima recensentur.

De Effectu Balnei Frigidi in Sensus.—Sensus a balneo frigido impertitus, violens, per breve temporis spatium, ingratus; cutis anserina, motus abnormes, vehementiam stimuli denotant. Epigastrica regio, axilla, præcipue afficiuntur. Sensus eo serius ociusve abit, prout homo majori, minorive mobilitate præditus, plus minusve balneo assuetus; multum minuitur si corpus exercitatione calefactum; si circuitus sanguinis auctus; si cutis strigili fricta; differentias etiam oriri videmus, ex modo quo aliquis, in balneum descenderit: si subito, sensus acutissimus, cito tamen abiturus, si paulatim et tarde, non ita acutus, etsi diutius perstet; si tardissime, fere nullus. Ad hæc advertere debemus, dum sedativos effectus ex balneo frigido obtinere desideramus; aliquo tempore elapso, adsunt spasmi extremitatum, musculorumque posterioris colli, levis cephalalgia; frigus in regione epigastrica. Temperiei imminutione comitante, ut observat

Dr

Dr Currie *, tremor, et in quibusdam casibus oppressi cerebri signa.

In Pulsum.—Plerisque auctoribus, inter quos Dr Athill, Dr Marcard, et Dr Currie, tardior observatus est, balneo frigido admoto, pulsus. Dr Störk pulsum celeriorem affirmat. Quantum mihi facultas fuit observandi, pulsum tardiorem percepi, ut etiam debiliorem, intermittentemque, si homo quiete in balneo remaneat. Meipso, in aquam, cujus temperies L°, per horæ tertiam partem immerso, pulsus micationes LVII. in horæ sexagesima parte fuerunt, dum ordinario LXXIV.

In Calorem.—Calor humani corporis ad gradum XCVII^m et dimidium stat; hunc ope thermometri metimur, cujus globus, sub lingua collocatur, ore bene occluso, respiratione tantum per nares perfecta, (aliter errores magni momenti subissent). Alicui balneum ingredienti, calor minuitur insignius, si subito descenderit; aliquo tempore elapso, ad plures vices augetur, rursusque

* Vid. Medical Reports, vol. i. p. 210.

susque minuitur, ut observat Dr CURRIE *: si homo et balneo exiens, aëri libero exponatur, dum evaporationis processum subit, ejus temperies minor minorque, si rursus balneum hoc momento intret: his immersionibus et emersionibus, ad plures vices iteratis, multo celerius decrementum magnum temperiei obtinemus. Sic in balneo XLVIII° calor meus, prius ad XCVIII° post immersiones, emersionesque per horæ tres quadrantes, ad LXXXVIII° reductus fuit: talem imminutionem nunquam obtinui, ni hoc medio, sub iisdem conditionibus.

Inter transeundum ex balneo frigido, ad calidius, calor humani corporis, sæpe gradibus duobus, vel tribus minuitur, signa oppressionis, rigores, multum augentur †, &c. Hi effectus forsan ex alia causa pendent; nihil simile in meipso alioque observavi, dum uterque fere in iisdem circumstantiis.

In Respirationem.—Inspirationum, expirationumque numerus, multum diversus in diversis, pro

* Vid. Medical Reports, vol. i. p. 204.

† Ibid. p. 207.

pro eodem spatio temporis. Menzies aliquem memorat, decies quarties tantum spirantem, per sexagesimam horæ partem. Eq. H. Davy vicesies sexies, Dr Thomson decies novies, in illo spatio respirant. Numerus mearum respirationum per sexagesimam horæ partem octodecim; post immersionem per dimidiam horæ, partem et plus, tribus vel duabus; aliquando prorsus immutatus remansit.

Secretiones.—Excretione per cutem suppressa, secretio hepatis minuitur; hæc intestinorum renumque augeri dicitur, sed auctores nihil clare de ratione hujus incrementi statuunt.

Absorptio.—In balneis omnis generis satis incertum, utrum absorptio adsit, cuticula integra; de hoc infra tractemus.

De Effectu Balnei Tepidi.—Ejus effectus ac frigidi calidive balnei fere iidem sunt ad unam vel alteram vergentis.

De Effectu Balnei Calidi.—*Sensus* per aliquod tempus, imo longum, gratissimus.

In

In Pulsum.—Ab experimentis Doctore MARCARD institutis, sequentia deducuntur *.

1mo, Balnea infra gradum XCVIII^{m}, siquando nihil obstet, pulsum tardiorem reddunt. 2do, Quo frequentior pulsus, eo major imminutio. 3tio, Calor plurimum valens ad hunc scopum attinendum, intra LXXXVI° et XCVI°. 4to, Pulsationum numerus pro tempore minuitur, per spatium horæ et dimidiæ; sed decremento, nulla lex applicari potest.

In Calorem.—Calor in balneo hujus temperiei non afficitur, ni præternaturalis †.

In Respirationem.—Respiratio in debilibus, leviter affecta, non raro quædam oppressio percipitur.

In Secretiones.—*Excretio cutis* augetur, nihil certum quoad quantitatem.

Urina augetur ‡: nulla ratio incrementi statui videtur. Dr HOME non magnam fidem huic agendi modo balnei calidi, præbet.

Ad

* Vid. De la Nature des Bains, &c. p. 97.

† Vid. Dr PARR's Experiments, p. 125.

‡ Vid. article *Bain*, Dictionnaire des Sciences Medicales.

Ad Absorptionem cutaneam producendam occasio feliciter oblata; argumenta infra tradita, huic sententiæ favent:

1mo, Naufragium passi, corpore in aquam salinam immerso, sitim levatam experiuntur.

2do, Quidam navigatores, inter quos DAMPIERUS affirmant, navigantes, aëri humido, Marium Australium obnoxios, etsi nullam aquam biberent, sitim fere nullam expertos esse, et secretionem urinæ, quantitate, parum mutatam remansisse.

3tio, Dysphagia laborantes, sitim levatam experti sunt, etsi nihil devorare possint, corpore in balneum calidum immerso.

4to, Analogia nos docet, quasdam substantias cuti applicatas, urinæ peculiarem odorem præbere, ex. gr. Oleum terebinthinæ aqua commixtum, hunc effectum habet; fluxus salivæ, corpore in solutionem hydrargyri muriatis immerso, induci potest.

5to, Partes in balneo immersæ dilatantur. Supputationes ad copiam absorptionis comperiendam institutæ fuerunt; absorptionem ad

uncias

uncias XLVIII. æstimat Dr FALCONER pro adulto, per horam unam in balneo calido perstante.

Alii absorptionem liquidorum per cutem negant, cuticula integra. SEGUIN in serie experimentorum, sedulo instituta, cuticula integra, nihil absorptionis fieri reperiit. Ægri tredecim, crura sua lavarunt in libris XVI. aquæ ʒ iij. hydrargyri muriatis solutas continentis, sine ullo absorptionis signo. Æger decimus quartus cujus crura excoriata, salivationem expertus est. Idem experimentum cæteris paribus repetitum, similem exitum habuit. Idem auctor, nihil odoris in urina observavit, post immersionem in aquam cum oleo terebinthinæ commixtam, aditu aëris balneum circumdantis, præcluso.

Ægri diabete laborantes, signa absorptionis bene notata, post balneum, non obtulerunt; multi nulla.

Idem fere dicendum, de illis dysphagiæ casibus.

Balneum sitim removet, solvendo spasmum vasorum cutis, et per consensum illorum tubi intestinalis, et renum.

Quod

Quod DAMPIERO evenit, non multum refert, nam nullus pulmonariam absorptionem negat: in quibusdam casibus, præterea, absorptio vaporis humidi adesse posset, dum nulla aquæ liquidæ ipsius; hujus naturæ exemplum habemus in oxygenio, vesica interposita, sanguinem, afficiente, dum liquidum transire nequit.

Forsan in quibusdam casibus, hoc genus absorptionis adfuerit, ut diximus, sed raro; nam in balneo, vapora aquæ calidæ pulmones intrat, et inde erroris fons. Ex jam dictis, de absorptione cutanea, in balneo, adhuc dubitandum esse; et nullam theoriam ex illo agendi modo deducendam.

De Balnei supra XCVIII° *Effectu.—In Sensus*, spasmus periphericus inter prima phænomena, rubor et dilatatio cutis. Post aliquid tempus, et si temperies valde calida, CV° ad CX°, vertigo, oppressio, syncope superveniunt. Quoad illos effectus, de corporis constitutione multum pendet: in balneum CVI° per dimidiam horam immersus, nihil incommodi expertus sum.

 Supra

Supra cx°, balneum fere intolerabile, dicunt auctores.

In Pulsum.—1mo, Celerior fortiorque, deinde tardior fit: pulsationes præcipue in capite observantur; hinc in pulsus arteriarum, ut alia stimulantia, balneum calidum agit.

In Calorem.—Non augetur calor eodem modo ac in balneo frigido minuitur, obstante perspiratione.

Dr PARR ad c°, calorem corporis humani duobus gradibus auctam vidit, immersione per tertiam partem horæ practa.

In Respirationem.—Oppressa et accelerata, deinde ut pulsus, subsidens respiratio.

In Secretiones.—Non ita profuse defluit materia perspirabilis; ut in balneo calido, id pendere dicitur, ex statu spasmodico exhalantium vasorum; magna pars anxietatis, aliorumque molestorum sensuum, in balneo calidissimo expertorum, huic rei ascribuntur.

§ II. *Aqua Marina, cum Acidis commista.*—Quosdam effectus peculiares edit. Doctor CUR-

RIE,

RIE, de naufragio *, &c. quibusdam experimentis dicit, unde patet in aqua marina frigida, rigores non ita vehementes, seriusque adoriri, quam in aqua fontana.

Temperies altior remanet pro eodem spatio temporis, ociusque ad naturalem redit: de pulsu eadem dicenda, ab experimentis a me institutis. Aqua marina calida stimulantes effectus manifestat, quos fontana ad eundem gradum non possidet.

Acidum Nitro-muriaticum,—aquæ fontanæ additum, ita ut mixtura valde acida gustui appareat, a Doctore SCOTT in balneo exhibitum fuit: actionem acidi experimentis in corpore sano illustrat †. Balneum calidum, et ita acidificatum, ut aliquo sensu cutem affecerit, per spatium horæ ad plures vices admotum fuit, nihil memoratur de proximis effectibus, quoad calorem et pulsum.

In Secretiones.—Urina signa aciditatis præbuit, nunquam antea exhibita: die tertio, irri-

tatio

* Vid. Medical Reports, vol. i. p. 218.

† Vid. Medico-Chirurg. Transactions, vol. viii. p. 173.

tatio faucium, leves ulcerationes gingivarum distinctæ fuerunt: die quarto et quinto, idem effectus in plurimis, hepatitide laborantibus, inductus fuit, ut etiam lotionibus per breve tempus practis.

Acidum Sulphuricum, specifica gravitate 1.845, in tricentis aquæ partibus dilutum, in balneo adhibui; temperies L°; immersiones, per horæ dimidium, interdum bis in dies.

In Sensus.—Pruritus imprimis in partibus tenuiori cuticula indutis; rubor, tactus cutis quasi quodam linimento oblinitæ.

In Pulsum.—Post horæ dimidium elapsum, tardus debilisque erat pulsus, sed distinctus: hoc nunquam observavi in balneo, seu cum aqua fontana seu cum marina ejusdem caloris.

Calor.—Longius corporis temperies, altior remanet, sub iisdem conditionibus; et semper uno gradu, sæpe tribus, pro spatio trium quadrantium horæ.

In Secretiones.—Urinæ non adverti: saliva interdum, nonnihil aucta mihi apparuit, post plurimas immersiones.

In

In Absorptionem.—Nulla experimenta ad absorptionem directe probandam institui; sed balneo decies admoto; internæ gingivæ, velum palati, tonsillæ, præcipue sinistra, excoriationes notatu dignas, exhibuerunt; dentes, siquando, maxillæ in contactum venerint, dolebant. Eadem signa in tribus diversis experimentorum seriebus prodierunt.

Acidum Aceticum.—Nulla pericula *comparativa* inter hoc acidum aliaque, tentata reperii: odor ægris valde jucundus; sed mucilaginosa pars quam continet, huic usui parum idoneum reddit.

De aliis acidis nihil legi. Substantiæ hujus generis fere eandem generalem actionem inducere videntur, et stimulant in directa ratione excitantis potentiæ, qua præditæ sunt; ejus ope, sedativam actionem frigoris debellant. Quædam eorum absorbentur, et peculiares effectus expositos, et adhuc parum investigatos, producunt.

§ III. *Affusio* est balneum per breve temporis spatium durans. Sensus hac impertitus, et subsequens

sequens evaporatio, attentionem merentur. Si affusio *frigida* sit, sensus ex percussione frigorique oritur; *si calida*, ex percussione tantum; si calidissima ex calore et percussione. In tribus illis speciebus, subsequens evaporatio adest. In prima, duæ causæ stimulantes adsunt; in secunda, una; in tertia, duæ valent. Aqua calidissima larga copia et valde acidificata, verosimiliter phænomena, iis affusionis frigidæ similia daret in febribus; et in casibus cum pneumonia complicatis meliori usu, non spasmum in eodem gradu inducens, ex quo periculum, illis symptomatibus præsentibus.

Quoad actionem affusionis in corpore sano; duo tantum Doctor CURRIE profert experimenta, post affusionem cum aqua XL° peractam in duobus adolescentibus; horæ sexagesima parte elapsa, eorum calor duobus gradibus ascendit *. Tertius juvenis multo debilior experimentum subiit; ejus calor dimidio gradu descendit. Non in meipso affusiones tentavi; sed, ut vidimus, immersiones et emersiones, ad plures

* Vid. Medical Reports, vol. i. p. 126.

res vices repetitas; quarum principium, illi affusionis simile, de phænomenis jam dixi.—Adhibetur etiam affusio cum balneo commixta; quoniam nihil hujusmodi tentatum fuit in corpore sano, de ea dicemus in ea parte operis, quæ ad febres pertinet: modus satis simplex, et consistit in ægrum immergendum in balneum calidum tepidumve; affunditur aqua frigida, in caput superioresque corporis partes. Lotiones, sunt affusiones sine percussione, et cum minori quantitate liquidi; potentia inferiores, sed effectus haud absimiles edunt.

PARS II.

PARS II.

Phænomena quæ harum aquæ applicationum ægrotanti corpori usum comitantur, hypotheses præcipuas, de earum operandi modo, regulasque ex iis et experientia comprobatas, breviter exponemus; tractando de quibusdam morbis speciatim, fusius de modo dicemus.

Differunt balnei vel affusionis effectus, prout corpori sano vel ægrotanti applicentur: hinc ex longa immersione in aqua calida, calor antea abnormis paulum subsidet; diaphoresis adest; pulsus minuitur: hæc non in eodem gradu viderentur si sanus esset homo. Hæc affusione calida partim procurantur, imo calor evaporatione sequente magis afficitur quam balneo calido.

Balneum frigidum, affusioque frigida, multo majorem effectum habent, in calore minuendo, pulsuque tardiore reddendo; quoad diaphoresin sæpissime,

sæpissime, momento reactionis adest, limitesque paroxysmo præbet. In sensum doloris removendum, multa validiora sunt balnea frigida vel affusiones; sed ad sedativam actionem obtinendam, modo continuo et per longum tempus in iis perstandum est, certus est exitus. Aquam frigidam ad superficiem corporis admotam fuisse, antiquissimis medicis legimus. HIPPOCRATES has usurpatus est in plurimis morbis*. Apud varias gentes incultas littorum Sumatræ, Pegu, et Siam, eadem ratio medendi obtinet†. BOURGEOIS, e Secretis Societatis Agriculturæ in Port-au-Prince, Sancto Domingo, de more simili solito et fausto inter Æthiopes, dicit. CHARDIN

c de

---

* Vid. edit. Genevens. Tæsio excus. HIPPOCRATIS operum, L. de Affectionibus internis, p. 518. L. 3. & 4.; L. de Liquidorum usu, p. 420.; L. 5. Epidemicorum, p. 1144.

† Testante Epistola Manuscripta, in Bibliothecæ Musei Britannici catalogo notata (h. a. 32. 71.) cujus auctor Doctor COULT, sic anno MDCCXVII.: "I am told, that upon the coast of Sumatra, Pegu and Siam, the natives, in fevers of all kinds, whether continued, intermitting or eruptive, also in diarrhœa and slow dysenteries, wash frequently in the rivers, which are very cool in the season of rains."

de Therapeuticis Mediis, ejusdem generis loquitur, et eorum exitum multum laudat. De Haen, febre periculosa detentus, affusione frigida, bonæ valetudini restauratus fuit.

Doctores Jackson et Currie, hanc rationem medendi *, primi nequaquam exercuerunt, de modo quo suos effectus præstet, et regulis in ejus usu observandis, accurate disseruerunt; cum autem plurimum inter se discrepant hi auctores, utriusque opinionem exponemus.

Doctor Currie, de aqua frigida, ad superficiem adhibenda agens, contendit, causam febris quæcunque sit, debilitatem in genere inducere, cujus sequelæ, vel comitantes effectus, sunt spasmus, vel minimarum arteriarum, vasorumque exhalantium contractio; et in superficie et interiora versus, sanguis in cor et pulmones repellitur: hæc organa renituntur, morbidus calor generatur, morbidusque consensus, quo præternaturalis actio cordis et arteriarum perstat, postquam causa remota fuerit. Calor effectus adest, sed paulo post confert ad spasmum augendum; ejusdem

* Vid. Medical Reports, vol. i. p. 185.

ejusdem actionis exemplum habemus, in effectibus vehementis caloris arte excitatæ, si repente, vasa cutis constringit, perspirationi obstat, et signa stadii febrilis caloris oriuntur.

Aqua frigida superficiei applicata, duplici modo agit: aliam actionem generat, qua morbida destruitur; sic spasmus ubicunque adfuerit solvitur, actio vasorum restauratur; sua conductrici potentia, plurimum caloris collecti tollit; evaporatio subsequens majorem copiam adhuc; perspiratio cui nihil obstat, futuram accumulationem impedit.

Stimulo caloris sublato, cordis inordinata actio subsidet, ægroque quies redit.

Effectus multo magis, ex rapida actione in sensus producta, pendet, quam ex aquæ proprietatibus, quibus calorem aufert; nimirum, exponatur corpus aëri libero, dum temperies ad naturalem gradum descenderit, rursus rigores ægrum invadunt, nulla diaphoresi percepta. Adhibeatur affusio tepida, imminutio per breve tempus, et sæpe rigores etiam, si evaporatio ad aërem liberum. De differentia inter balneum et affusionem: Dr CURRIE sæpius hac usus est, et ejus actionem

nem satis validam invenit. Optimam temperiem pro affusione inter trigesimum sextum, et quadragesimum quintum gradum putat; si non infra sexagesimum ad balneum recurrendum est, cujus multo major potentia sub eadem temperie. Aquam marinam, vel sales solutos continentem, anteponit, ejus stimuli gratia.

Quoad normam; affusionem commendat, quotiescunque temperies corporis præternaturalem aucta:—Si calor non arte tantum excitatus, perspiratio non per aliquod tempus jam defluxerit: Si nulla congestionis inflammationisve signa adsint.

De tertio præcepto, ipse paulisper dubitat Doctor Currie. In inflammatione viscerum abdominalium, imprimis putat, aquam frigidam, pro remedio sedativo applicatam, bene convenire; hic modus peragitur ægrotantem immergendo, in balneum tepidum gradatim refrigeratum, et per longum tempus continuatum, vel in applicationes linteorum aqua tepida madidorum, et deinde aqua frigida ope spongii *. Doctori Jackson, dum affusionem frigidam balneumque

* Vid. Medical Reports, vol. i. p. 208.

neumque ejusdem temperiei adhibet, calor ægri non certa regula videtur. Necessaria conditio, (secundum ejus sententiam), ex generali sensibilitate per totum systema distributa pendet, æqualiter et in tali gradu ut æquilibrium adsit. Contra Doctoris CURRIE doctrinam, objicit, quod sæpe affusione frigida, ægrotantis calorem prius infra solitum, repente auctum fuisse. In Doctoris CURRIE ipsius citationes, exempla reperit, quæ suam opinionem firmant; nempe, faustus eventus affusionem frigidam sequens, dúm contra regulam adhibita fuerit *, quod Doctori DE HAEN accidit †. Varius tandem fuit exitus, in magno febrium numero, quæcunque fuerit ægri temperies ante affusionem.

Secundum ejus hypothesin, non ita diversam ab illa Doctoris CURRIE, ut consequentia ex ipsa deducta, balneum frigidum vel affusio, novo modo systema afficit, et actioni morbidæ obstat, sensum agendo: si conditiones idoneæ adsint, remedium protinus exhibet, si non, eas producere conatur.

Si

* Vid. Medical Reports, vol. i. p. 37. † Id. p. 78.

Si cutis torpida, eam, ad solitam actionem balneo calido, ciet, fricationibus cum sapone, oleisque stimulantibus. Si sanguinis impetus furens, præcipue dum ad quiddam viscerum directus, pro re nata, venæsectione, catharticis, balneo tepido, incipit; si subitus generalisque collapsus, circuitus sanguinis oppressus, congestionemque minitans in quodam organo, venæsectiones generales et topicas, majoris adhuc momenti putat, balneoque calido utitur, donec sensus, regularisque circuitus renovati fuerint; nunc ad affusionem frigidam recurrit, vel aspersionem, qua aliquando vis vitalis paulatim, sed tutius, resuscitatur.

Dum exempla veræ debilitatis occurrunt, cum magna mobilitate conjuncta, ut sæpe accidit, in ultimis morbi periodis: hunc corporis statum removere, jubet, fricationibus stimulantibus, gestatione in aëre libero, usu cujusdam tonici interni, ex. gr. vini: deinde ægrum sic præparatum, in balneum calidum, demittit, cutem strigilum ope purgat, corpus in sedile, infra aquam situm elevat; frigidam aspersionem vel affusionem generalem parcam in cervices et caput.

Postea

Postea æger panno laneo fricatus, ad lectum deducitur. Si symptomata non iis levantur, causis investigatis, iterum eundem agendi modum sequimur, vel paulo diversum pro re nata.

DE AQUÆ EXHIBITIONE, IN FEBRIBUS IDIOPATHICIS.

§ II. *Synocha Simplex*,—raro occurrit: in illa morbi forma, affusiones frigidæ balneumve, facillimo usu, et secundum Doctoris CURRIE methodum.

§ III. *Typhus et Synochus*.—De aqua exterius applicanda, in illo morbo, cum Doctore ARMSTRONG, distinguemus,

1mo, Typhum simplicem.
2do, Typhum inflammatoriam.
3tio, Typhum congestivam *.

1. *Typhus Simplex*, in qua stadium caloris valde manifestum, nullaque inflammatio certis signis

* Vid. Practical Illustrations of Typhus, &c. p. 9.

signis designata. In morbo, tria distinguuntur stadia, nempe, *oppressionis, excitationis, collapsus.*

1mo, *Oppressionis.*—Signa hujus quo morbus invadit sic sese ostendunt: dotes animi imminuuntur, vires franguntur, facies pallet; integumenta, quasi livida; sensus frigoris cum calidis paroxysmis alternat; anxietas circa præcordia, respiratio sæpe frequens; pulsus parvus et debilis; nausea, vomitus; lingua, alba crusta obducta. Hæc symptomata per duos vel tres dies, nonnunquam longius, perstant. Balneum frigidum, et etiam affusio, non sine periculo, nunc adhiberentur; hanc systematis conditionem removere jubent Doctores JACKSON et ARMSTRONG, sensumque cutis augere, modis de quibus diximus, nempe, balneo ad desiderium ægri calefacto. Fricationes cum sapone et strigili perficiuntur, et emeticum ex ipecacuanha, quod balnei actionem multum promovet, dum non valde pronum sit ad inflammationem suscitandam. Hæc continuentur, donec relaxatio cutis adsit, vel status reactionis calorisque appareat: in lectum ægrum levibus, sed potius calidis stragulis obtectum re-

ponimus,

ponimus, donec secundum stadium bene stabilitum sit.

2do, *Excitationis*.—Vultus rubescit; oculi magis vividi fiunt; dolor capitis auctus; delirium; jactatio; lingua fœda; alvus astricta, color odorque excretionum, plerumque mutati, calor auctus, gradatimque per totum corpus diffunditur; pulsus acceleratus, amplior, ut symptomata recensenda sunt: ægrum e lecto quam levissime summovemus, eumque, in alium huic proximum, et ejusdem altitudinis deponimus, et in ejus corpus nudum, fistulas aquæ frigidæ affundimus, per tempus, plus minusve longum, pro re nata. Pulsus et calor, illo momento, non facile æstimantur, sed paulo post, si nihil mutati in calore, affusio diutius continuanda; ni ullum symptoma, ut deliquium, convulsio vel tremor, vehementior, id vetat. His peractis, in lectum ægrum reponimus: si horror, ingens oppressio sese manifestant, hunc calefacimus, fricationibus cum panno laneo, applicatione vesicæ aqua calida plenæ, in epigastrica regione*, &c.

D Post

* Vid. Medical Reports, vol. i. p. 120.

Post breve tempus, calorem imminutum, pulsumque tardiorem invenimus, cum illa cutis conditione jam memorata? Hæc iterantur quoties excitatio redit, et sæpe post paucas affusiones morbus extinguitur, præsertim, si a principio ei occurritur *. Doctor GIANINI, clarissimus inter Italienses, multum anteponit immersiones, et cum magno fructu adhibuit, fere in eodem modo ac Doctor CURRIE †.

3tio, *Collapsus.*—Post dies quinque vel septem collapsus plerumque accidit, ingens virium depressio, delirium mite, subsultus tendinum, deglutitio difficilis, sæpe diarrhœa, dejectionesque fœtidæ. Non raro petechiæ, calor imminutus, pulsus debilior, celeriorque, sunt quædam hujus status signa.

In hac periodo, Doctore CURRIE judice, affusio frigida omittenda, et calida plus molestiæ quam commodi affert; lotiones ad calorem moderandum, si urgeat quod raro, melius conveniunt; hanc sententiam, plurimi solertes medici tenent.

In

* ARMSTRONG's Practical Illustrations of Typhus, &c. p. 104, 105.

† Della Natura delle Febbri, &c.

In illo stadio Doctor Jackson aptam præparationem instituit, affusionemque vel potius aspersionem, cum aqua frigida, tentat *. Huic fini conducunt levia stimulantia, ut gestatio, in aëre libero; idonea quantitas vini, vel cujusdam alterius tonici; balneum tepidum, frictionesque, præcipue cum strigili: Postea, affusio adhibenda; sæpe ejus actione, calor ascendit, pulsus validior, aliaque signa mali levantur.

2. *Typhus Inflammatoria.*—Ejus signa sunt inflammatio acuta, subacutave, cujusdam viscerum. *Cum inflammatione cerebri*, symptomata phrenitidis idiopathicæ plus minusve adsunt in acuta forma morbi; in hoc, tamen differunt; quod post primum ingressum oriuntur, dum alia citius. In secundo stadio excitationis, pulsus celer vibransque, calor sæpe plurimum augetur; facies sæpe violaceo colore; respiratio difficilis; tussis molesta, ut in pneumonia; si pars superior medullæ vertebralis cerebellumque, inflammationis, situs sunt; proculdubio, ex functione octavi

* "A Sketch of Febrile Diseases," &c. p. 211.

tavi paris impedita, dolor capitis aliquando obscurus, sæpe gravis; sitis magna, sæpe vomitus vicissim, alvus astricta, ni sub finem, urina parca et rubra, coma, convulsiones, et mors generatim inter sex dies. Post mortem, vasa duræ matris turgida, præcipue prope falcem, secretio quasi puris. In illa febris forma Doctor ARMSTRONG venæsectionem jubet, sed in minori quantitate, quam in idiopathica phrenitidi. Doctor JACKSON sanguinem detrahit in magna quantitate; in *urgentioribus* casibus, ad quatuor et etiam sex libras; arteriam temporalem externam secat; si præcipua actio ad externam membranam dirigitur, balneum calidum et aquam frigidissimam, indesinenter, in capite affusam *. Hunc modum agendi, cum magno successu, sequitur Doctor HORN, Berolinensis Professor. Tandem applicationem, Doctor ABERCROMBIE laudat †, sub forma rivuli frigidæ aquæ in superiorem capitis partem defluentis. *Sub-acuta forma* difficile a typho

* Vid. Dr JACKSON's Sketch, &c.

† Vid. "Observations on Chronic Inflammations of the Brain, &c. p. 61."

typho simplice primum distinguitur; delirium magis magisque auctum; pulsus lentus sed compressus, et multas mutationes subiens inter paucas horas. Cephalalgia plerumque gravis, intolerantia lucis; secretiones alvi et renum multum imminutæ, cutis arida; fatalem exitum indicant signa graviora, gravioraque oppressi cerebri; petechiæ, vibices, subsultus tendinum: multo longius durare potest ac altera species, sæpe per tredecim vel viginti dies. Methodus curandi non differt in hac secunda forma: balneo calido, et affusione frigida ut supradictum utimur, vena prius incisa; nunc, dum aliqua mutatio in symptomatibus supervenerit, cathartica, diaphoretica levia, et post submurias hydrargyri cum opio *.

Si pulmones inflammatione corripiuntur, præter alia, dolor in pectore, præcipue ad posteriorem partem, respiratio difficilis, frequens, tussis, calor magna, &c.; expectoratio sæpe cum sanguine mixta. Hæc pneumoniæ signa, ni in magno gradu,

* Vid. Dr Armstrong's "Practical Illustrations of Typhus Fever."

gradu, non semper affusionis frigidæ usum præcludunt *. In Influenza, species catarrhi inflammatorii, in debilibus ægris etiam, affusio frigida practabatur Doctor CURRIE, et cum magno commodo. In Scotia, si catarrhus inflammatorius non urgens, hunc modum curandi non supersedit. Doctor ARMSTRONG illum ut efficacem in catarrho cum febre, memorat. Doctor JACKSON, ut in aliis venæsectione incipit, et post balneum calidum et diaphoretica jubet. Doctor GIANINI, immersiones non interrumpit †. Forsan pneumonia præsenti, affusiones salinæ vel acidæ, calidissimæ et in larga copia, actionem novam inducerent, ut frigidæ, et nihil injuriæ pulmonibus afferant.

Typhus cum Enteritide.—Balneum tepidum usitatum fuit in ambobus inflammationis generibus; forsan continua frigoris applicatio enteritidem subduceret, sedativo effectu et bono auxilio esset, cum aliis potentioribus remediis.

Typhus

* Vid. Medical Reports, vol. ii. p. 76.

† Vid. Del. Febbri, &c. p. 130.

Typhus cum Dysenteria.—Hæc forma typhi inflammatoriæ, valde communis in calidis regionibus, haud raro sese ostendit in Europa, præcipue inter milites. Doctor JACKSON *, duas formas morbi, Simplicem, describit, Complicatamque, in qua tres intestinorum tunicæ simul aggrediuntur, calor major, pulsus frequens, parvus et durus, lingua arida, fæces copiosæ et valde sanguinolentæ: symptomata graviora gravioraque, calor circa præcordia, imminutus ad extremitates, abdomen tumefactum; mors intra septem dies plerumque occurrens. In ambobus morbi speciebus, Doctor CURRIE frustra tepidam affusionem exhibuit †. Dr JACKSON, cum aliis mediis jam memoratis, conjunctum, balneum frigidum utile vidit; hoc præscribit modo idoneo ad effectus sedativos inducendos.

Typhus cum Hepatitide.—Sæpe signa hepatitidis sese manifestant; propriis symptomatibus, affectio cognoscitur. Quoad aquæ usum externum;

---

* Vid. "A Sketch of Febrile Diseases," &c. p. 432.

† Vid. "Medical Reports."

num; attendendum est statui cutis in illo morbo, et calida applicatio in plerisque casibus frigidam sequi debet, ita ut diaphoresis certe adsit; aqua cum acido nitro-muriatico commixta utendum est; sic obtinemus duplicem scopum, utrosque morbos simul debellando. Vix necessarium est iterum dicere de venæsectione et submuriate hydrargyri; hæc præparatio bene nota fere ut specificum: si gravis vomitus, frictiones anteponendæ; si cutis torpescat unctiones cum unguento oxydi rubri, experiri possimus. Perseverandum in illis donec mitigentur symptomata.

3. *Typhus Congestiva*—a simplici distinguitur, statu oppressionis multo graviori et ad collapsum transeunte, fere nulla excitatione interposita; hoc symptoma diagnosin præbet, inter hanc inflammatoriamque; præterea, modus quo circuitus afficitur, etiam diversus, accumulatio, potius quam inflammatio, in organo male affecto: pulsus tardior quasi impeditus, calor non multum supra, sæpius infra naturalem; si in capite congestio sita sit, pleraque symptomatum ad secundum apoplexiæ stadium, pertinentium

tium. Si eventus infaustus, sectio encephali fere eadem ostendit, ac ille morbus. Aliquando et si remedia citius admota, hæc species in una vel altera præcedentium desinit. Si congestio potius in alio organo quam in capite obtineat, magis sperandum, et formam mitiorem induit typhus; sed alia viscera, sive in thorace seu in abdomine, nunquam gravius congestione laborant, quin aliquid simile caput occupet; actio partis imminuta, aliquando fere abolita, sensus turgiditatis situm indicat, sanguis detractus difficile fluens, et crustam coriaceam albam non ostendens, bonum signum congestionis præsentis est; dum alia simul. Distinctio inter veram debilitatem vel collapsum tertii stadii, et illam ex congestione ortam, ex historia morbi, aspectu ægri, statu pulsus, satis aperta.

Torporem cutis tollimus, balneo calido, fricationibusque ope strigilis. Necessarium etiam systema venosum exonerare; aperitur in balneo calido vena jugularis, externa vel arteria tempo-

ralis, vel ambæ*, donec circuitus liberior; deinde aspersione frigida stimulatur systema ad novam actionem.

Febres Remittentes.—Quæ de typho, febribusque intermittentibus, memoravimus, satis indicant usum affusionis balneive, in remittentibus febribus. Ad idem genus cum intermittentibus pertinere videntur; ex iisdem causis oriuntur, et eundem typum quoad remissiones induunt. Balneum calidum et affusio frigida secundum easdem regulas ac in typho usurpantur; et sæpe typum mutant ex remissione in veram intermissionem. Hoc remedium certe nequaquam eodem præstat effectu, in periculosis casibus remittentium calidarum regionum; sed aliis et potentioribus remediis, validum auxilium præbet. Doctor BANCROFT usum affusionis frigidæ et lotionum

* Doctor ARMSTRONG (*Illustrations of Typhus Fever, &c.* p. 145.) detractionem sanguinis a jugulari adversatur, nulla anastomosi inter venas hasce formantes illasque ex interno capite; oblitus est notam anastomosin inter jugulares externas internasque, trans parotidæam glandem; ut etiam venas spheno-palatinosæ, &c.

lotionum commendat in febre flava, calore in primo stadio furente, et etiam ut hac febre detenti objicerentur evaporationi e madidis pannis, superficiei applicatis. Doctor CHISHOLM* sibi commodissimum visum narrat ægrum, in dolio aqua calida pleno ponere, et frigidam aquam in caput humerosque affundere. Doctor WRIGHT fere eadem dicit de eadem febre †. Doctor JOHNSON ut bonum adjutorium laudat ‡, et fere in iisdem verbis cum Doctore BANCROFT.

§ III. *De Balnei et Lotionum Usu in Hepatitide.*—Distinguitur una species Acuta, altera Chronica. Hic morbus valde frequens in fere omnibus regionibus, sub forma chronica, cum levi inflammatione alternans. Modus quo superficies corporis afficitur, multum valet ad actionem

* Vid. "Essay on the Malignant Pestilential Fever," &c. vol. i. p. 384.

† Vid. "Second Part of the Medical Annals, London," p. 786.

‡ "On the Influence of Tropical Climates," &c. p. 34.

nem hepatis turbandam; secretio bilis, pariter cum excretione per cutem, augetur; hinc abnormis hepatis actio, in tropicis climatibus; gravesque mutationes inde ortæ, hinc etiam varia hepatis vitia. Doctor SCOT primus acida in hoc morbo et extrinsecus et intus adhibuit *, ut vidimus. Quoad proportiones misturæ, Doctor JOHNSON balneum hujusce modi, ex acidi nitrici, muriatici, utriusque ℥ iv.; aquæ, ℥ viij.; conjicere solet: primo aqua cum acido nitrico miscenda est, dein acidum muriaticum addendum; ℥ i. hujus misturæ satis acidas reddit lb. viij.; aquæ calidæ xvi. lb. satis sunt pro immersione pedum, crurumque; calor ad XCVI° optimus; tempus immersionis horæ dimidium, semel vel bis omni die, vel altera quavis die; quarta pars balnei removetur, et eadem quantitas aquæ fervidæ additur, cum necessaria proportione acidi, ita ut nihil mutationis subeat mixtura calefaciendo.

Effectus balnei, ex salivæ fluxu, cutis statu, et pulsu docemur, et ex hepatitidis symptomatibus

* Vid. "Medico-Chirurg. Transactions."

matibus paulatim remotis; sed beneficium inde oriturum, sæpe non nisi post aliquod tempus conspicitur. In debilibus ægris, lotiones aliquando exhibentur, sed non ita efficaces sunt. Cathartica non omittenda ad bilem removendam, cujus evacuatio magna in tubum intestinalem insequitur.

§ IV. *In Scarlatina.*—Tres varietates hujus morbi distinguuntur, nempe, Simplex, Anginosa, Malignaque. *Simplex* videtur morbus excitationis, modo agendi non dissimilis typho simplici: sic oppressionis status pro duobus vel tribus diebus observatur; pulsus debilis; facies pallida; dolor capitis. Stadium reactionis nunc incipit, calor magnus sese ostendit, pulsus validior, celeriorque; aliquando in magno gradu; deglutitio difficilis; vox rauca; calor ardens; cutis arida, et eruptio. In primo stadio, balneum calidum adhibendum: in secundo, affusio frigida, plurimum valet ad symptomata mitiganda, et imprimis, ne morbus in aliam speciem, anginosam nempe, mutetur. Affusionum usus, et deinde catharticorum, optime preveniunt se-

cundum

cundum aliquos illam anasarcam in fine aliquando ortam, post expositionem aëri libero.

Species secunda, cum inflammatoria, typho forsan comparanda; duo prima stadia melius insignuntur; et ulceratio faucium valde molesta; calor magis quam in morbis septentrionalis Europæ, observata. Doctor CURRIE exemplum memorat, in quo ægri temperies ad CXII° ascendit in secundo stadio.

De remediis in primo stadio, jam diximus. Inter illa in secundo adhibenda, aquæ salinæ larga affusio, vel ut Doctor GIANINI jubet, immersio in balneum frigidum, remissionem omnium symptomatum inducit. Nihilominus ut calor, citius quam in aliis febribus, recurrit; sæpe iterandum est remedium, et quotiescunque appareat; languor et debilitas, haud raro sequuntur, sed, febre extincta, die tertio æger convalescit. Si scarlatina anginosa, typho inflammatoriæ comparari potest*; maligna cum congestiva specie magnam similitudinem habet, ut observat

* Vid. "Medical Reports," vol. ii. ch. 6.

observat Doctor ARMSTRONG*. Ab hoc auctore distinguitur irregularis congestiva, in qua reactio partim; *vera*, in qua nulla sese ostendit. Prima ab anginosa differt, ut etiam a vera congestiva specie, signis ambarum vicissim apparentibus; sæpius in unam vel alteram desinit, et exitus ut faustus considerari potest. Vera congestiva vel regularis, signa bene cognita scarlatinæ malignæ offert; fere sunt illa typhi congestivæ; cum gutturis affectione conjuncta, ni morbus suum cursum, rapide decurrat; in quo casu, congestiones post mortem in cerebro, hepate, pulmonibus, reperiuntur. Doctor CURRIE nihil commodi ex affusione vidit in scarlatina maligna. Doctor ARMSTRONG, ex experientia sua, et collatis symptomatibus, eadem ac in typho congestiva, remedia laudat. Sed venæsectiones non in eodem numero iterandæ. Nobis apparet, methodus Doctoris JACKSON, quoad febres cum congestione, audacior esset, meliorque; de illa diximus.

In

* Vid. "Practical Illustrations of the Scarlet Fever," &c. p. 54.

In Rubeola.—Signa quæ docent, pulmones laborare in rubeola, multum deterrent medicos ab affusione frigida in illo morbo, ne augetur pneumonia. Haud ita Doctor CURRIE, qui de duobus casibus dicit, in quibus, morbum multum mitigavit *. Forsan immersio in balneum calidum sequi deberet affusionem, sic diaphoresin, relaxationemque cutis certiorem faceremus; sic pulmonum inflammationi obstaremus, malum primarium subigendo. Affusio acidificata, et calidissima forsan, promptius eundem scopum attinerent, ut jam diximus.

In Variola.—Febris eruptiva dicta, in adultis generatim vehementissima. Eruptio eo copiosior, quo febris gravior fuerit. Quo mitius procederet morbus, Medici diu tunc temporis, balneo calido usi sunt, jam ab anno MDCCXXX, apud Gallos. Doctor MARCARD †, in hoc stadio balneum calidum suadet, variaque exempla adducit suam opinionem vindicandi gratia.

In

* Vid. "Medical Reports," vol. ii. p. 120.

† Vid. "De la Nature des Bains," &c. p. 114.

In variola simplice vel discreta, iis feliciter usus est Doctor Currie: fere in omnibus casibus, ad febrem eruptivam mitigandam, et eruptionem eadem ratione. In variola confluenti *, nihil profuit affusio frigida, cum eodem auctore; sed hæc species ut exemplum congestivæ typhi habenda, verisimile est si methodus jam sub hoc capite exposita sequuta fuerit, faustiorem exitum fuisse.

In Neuralgia *.—Ex uno exemplo frigidarum applicationum utilitatem didici. Juvenis bona

 valetudine,

---

* Vid. "Medical Reports," vol. i. p. 52.

† Neuralgia est ille nervorum dolor, non signis inflammationis bene notatis comitatus: E situ varia nomina accepit, (vid. Pinel, *Nosol. Philos.* vol. iii. p. 166.) Dum nervos quinti paris, vel portionem duram septimi afficit, sub nomine *Tic douloureux* noscitur. De sede mali adhuc contenditur; ut etiam de natura. Ex successu quocum sectio, vel extirpatio partis dolentis facta fuit, localem affectionem hanc credunt plerique auctores. Sectio cadaveris in quibusdam casibus huic opinioni fulcrum dat. Verisimiliter ex læsione organica nervi vel nervorum morbus pendet, et paroxysmi excitantur

valetudine, pro quibusdam mensibus neuralgia in sinistra faciei parte vexabatur. Dolor ex sinistro stylo-mastoideo foramine, et secundum ramos temporo-facialem, cervico-facialem eorumque divisiones, extendebat, dum sese manifestaret paroxysmus; rubor, levis tumefactio, quædam pulsatio aderant, sensus acutus inter paroxysmos. Opium in larga dosi, aliquid commodi dabat, sed non in eadem ratione ac in aliis morbis; et pro brevi tempore. Epispastica utilia in eo quod, eorum usum sequeretur numerosa eruptio furunculorum. Æger tentavit venæsectiones topicas, et deinde frigoris applicationem, ut sedativum. Quamprimum dolorem percepit, hirudines octo applicavit, postquam panno in aqua frigida madido partem dolentem vicinasque circumdedit; aquam frigidam in pannum effundebat, quotiescumque sensus frigoris desieret;

---

citantur, circuito sanguinis aucto in capillaribus vasis. Dum causa removeri nequit, seu ob ægri provectam ætatem, seu locum quem centrum doloris tenet; remedia de quibus hic agitur, levamentum utile præbent, certius tutiusque hoc a narcoticis.

desierit; hoc modo superficies dolens nullo motu irritabatur.

Sic perstando, per horas plures, aliquando sex, dolor magis magisque minutus; tandem profecto remotus fuit. Illa ratione medendi ad plures vices iterata, leviores, rarioresque observati sunt paroxysmi; ex duabus mensibus non apparuerunt. Pars affecta, dum tacta, non amplius ut antea dolet.

Quæ jam diximus de balnei et affusionis usu in febrilibus morbis facile ad alios, in generi transferri queant.

FINIS.